Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

27. Maij. 6. Cal. Junij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

indueres, ſpretâ regis fratris indignatione, ſoli Chriſto regi placere ſtuduiſti. Fac ut & ego pluſquam regiam Dei majeſtatem ita timeam offendere, ut potiùs vitæ, ac totius mundi jacturam facere paratus ſim, quàm in ullum peccatum conſentire. *Fuga peccati.*

S. BERNARDUS, ſer. 16. in Cant.

Si reum regiæ majeſtatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite ſancitum eſt: quis finis contemnentium Divinam Omnipotentiam erit? Peccatum eſt crimen lęſę majeſtatis Divinę.

27. Maij. 6. Cal. Junij.

B. Rodolphe, Converſe monaſterij de Luka: cujus ſimplicem pietatem varijs revelationibus Divina bonitas conſolari dignata eſt. *Floruit anno* 1221. Cæteris jucundior illa fuit, quę tibi poſt vigilias nocturnas ad diurnos labores egreſſuro, & inter preces auroram expectanti, apparuit. *Clarus revelationibus.* Pendebat coram te in ligno Crucis ſuæ ſublimis, ac pretioſiſſimo ſanguine ſuo rubens Sol Juſtitiæ; ejus latera hinc inde cingebant quindecim alij, pariter ſuffixi crucibus, & meridiani ſolis inſtar fulgentes. Quos

omnes

omnes cùm ex facie agnoſceres, eſſe de confratrum tuorum numero, nec tamen viſionis myſterium intelligeres; ab ipſo Servatore edoctus es: hos eo, quo penderent, ordine propediem ad æternam gloriam aſſumendos: ſecum meritò conregnaturos; utpote qui per juge mortificationis ſtudium ſecum modò paterentur: & poſtquam omnes deceſſerint, te denique ad eandem felicitatem iſtos ſecuturum. *Proponam & ego deinceps frequentiùs oculis meis hoc memoriale immenſi in me amoris divini: inſcribam memoriæ meæ illa Apoſtoli verba: Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini mei Jeſu Chriſti.*

Mortificatus, cum Chriſto Cruci affixus eſt.

S. BERNARDUS, ſer. 61. in Cant.

Vulnerum Chriſti memoria dulcis.

Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur: non cado: fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccavi peccatum grande; turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur; quoniam Vulnerum Domini recordabor: Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

*****
***